

Heinrich Rahn    Johann Hatten von

## **Disputatio Iuridica De In Integrum Restitutionibus**

Rostochii: Kilius, 1643

<http://purl.uni-rostock.de/rosdok/ppn766442675>

Druck    Freier  Zugang







Ja - 1143 1-58.


216.7



Universitäts-  
Bibliothek  
Rostock

42.18







DISPUTATIO JURIDICA  
DE  
IN INTEGRUM  
RESTITUTIONIBUS,

*Quam*

DEO Ter. Opt. Max. adjuvante,  
Consensu Amplissimi Jctorum Ordinis in Cele-  
berrima Rostochiensis Academia,

PRÆSIDE

*Magnifico, Amplissimo ac Consultissimo*

VIRO

DN. HENRICO *Rabnen* J. U. D.

ac Professore publico p. t. Academiæ hujus  
Rectore, Præceptore, Fautore & promotore  
suo pl. honorando

*Publica placideq. disquisitioni subjicit*

JOHANNES von *HATTEN* / Rens-  
burgo Holsatus Aut. & Respond.

*Ad diem 22. Julij in Auditorio Majori.*

---

Mortalium nemo ad eam absolutionem pervenit, ut non obnoxie  
aliquando res suas gerat, nec quisquam ita desipit, quin  
crebro sibi utilis esse possit. *Novel. Leonis 39. pr.*



ROSTOCHII,

Ex Officina NICOLAI KILII, Acad. Typog.

Anno M. DC. XLIII.





Magnifico, Nobili, Amplissimo & Consultissimo  
VIRO

DN. HENRICO von Hatten/  
Jcto Per Ducat. Slesvig. & Holf. Can-  
cellario meritissimo, ut & Serenissimi ac Po-  
tentissimi Daniæ Norwegiæq; Regis CHRI-  
STIANI Quarti &c. Consiliario intimo,

Patri

*Omnibus modis de se optimè merito, paternorum  
beneficiorum devotaq; gratitudinis  
memor,*



*legales hasce primitias eâ, quâ par  
est, animi observantia:*

Offert & Consecrat

JOHANNES von Hatten/  
Fil.


Obedientissimus.





## CUM DEO.

### THESIS I.



E in integrum restitutionis materia utili ac necessaria impræsentiarum acturi, illa prius, quæ ad generalem faciunt intellectum rei, præmittemus.

### II.

Vocabulum restitutionis vulgo significat redhibitionem. Et restituere nihil aliud significat & denotat, quam aliquid reddere in ea causa, formâ, accessione & qualitate in quâ fuisset, si nihil adversus id, cujus gratiâ restitutio desideratur, factum esset, de quâ significatione sunt textus in *l. 38. §. 4. ff. de usu-  
ris. l. 22. l. 35. §. 5. ff. de V. S. & l. præterea. 20. ff. de R. V.*

### III.

In integrum verò restituere significat in pristinum statum reponere seu reducere *l. 2. §. restituas. 43. ff. ne quid in loco publico vel itinere fiat.* Vel quem honoribus & ordini suo & omnibus cæteris reddere, prout verba finalia habent in *l. 1. C. de sententiam pass. & restitut.*

### IV.

Definiri potest quod sit extraordinarium juris remedium, quo iudex imploratus læsos in eam causam, in quâ ante læsionem erant, ex justâ causâ reponit.

A 2

V. Ex-



## V.

Extraordinarium juris remedium esse ex hinc patet 1. Quod rescindat ea, quæ communi stricto & summo jure valent. vid. textum in *l. 3. C. si adversus libertat. l. 2. & 4. C. in quibus causis in integr. restit. necessar. non sit.* præcipuum fundamentum est in *l. 10. pr. ff. de minor.* 2. Quia pendet ex prætoriâ cognitione, & actionibus civilibus tanquam ordinario juri contradistinguitur *l. quod si minor. 24. §. fin. ff. de minoribus.*

## VI.

Causa efficiens est Prætor seu judex cùm Ordinarius tùm mandatarius seu delegatus *l. ult. C. ubi & apud quem in integr. restituit.* Imo ad minimum judex pedaneus *d. l. ult.* Excipitur tamen Magistratus inferior municipalis. Hic enim in integrum non restituit. *l. 26. §. fin. ff. ad municipalem.* Nec etiam arbiter compromissarius *d. l. ult. C. ubi & apud quem in integrum restit.*

## VII.

Causa procatarctica est imploratio officij judicis *l. quod si minor. 24. §. fin. ff. de minorib.* impostulatus enim judex spontè officium suum impertire non solet *l. dies. 4. §. 8. ff. de damno infect.*

## VIII.

Causa impulsiva est damnum, seu læsio. Non autem omnis damni eventus restitutionem indulget, sed illud tantum in considerationem venit, quod conjunctum est cum inconsulta facilitate, ut loquitur textus de minoribus in *l. verum. 11. §. 4. ff. de minoribus*

IX. Ma-



## IX.

Materia sunt res majoris momenti, non frivola  
aut levidentes *l. 4. ff. de in integrum restitut.* nec quae a-  
licujus modicae summæ sunt, veluti intra binos aure-  
os *l. 9. §. fin. cum l. seq. 10. de dolo malo.*

## X.

Forma consistit in tribus potissimum. Primò  
in hoc, ut petitio fiat intra tempus statutum & legiti-  
mum *l. 6. pr. ff. de in integrum restitut.* quod est annus  
utilis, qui quadriennium continuum continere di-  
citur *in l. ult. C. de tempor. in integrum restitut.* Et inci-  
pit minoribus currere post elapsum 25. annum, ubi  
primus dies anni 26. illuxerit. Hoc tamen quadri-  
ennium coarctatum est in doli actione ad biennium  
*l. ult. C. de dolo malo.* Ultra enim hoc tempus, quia gravis  
& famosa est actio, ut infra dicitur, non vivit.

## XI.

Secundo in actione intentandâ vel metus causa  
*l. 9. §. 3. ff. quod metus causa.* Vel doli *l. 1. §. 1. ff. de dolo*  
Vel mutari status *l. 2. §. 1. ff. de capite minut.* Vel a-  
ctione recissoria ex capite de Majoribus. *l. 28. §. fin.*  
*ff. ex quibus causis major.* Vel in factum actione in id,  
quod fraude alienatum est *l. 1. pr. ff. de alienat. judicij*  
*mutandi causâ.*

## XII.

Tertiò consistit forma in imploratione nobilis  
officij judicis, quo remedio utimur in casum defici-  
entis actionis, & habet locum in restitutione mino-  
rum, quia ex hoc edicto nulla propria actio oritur,  
sed totum dependet ex Prætoris tantum cognitione  
*d. l. 24. §. fin. ff. de minoribus.*

A 3

XIII. Fi-



XIII.

Finis & effectus est ut lapsis ætate vel errore a-  
liavé ex justa causa subveniatur perinde ac si læsi  
non essent, utq; omne damnum, quod hac occasio-  
ne fenserunt, resarciatur.

XIV.

Causæ restitutionum sunt ut plurimum sex  
1. Metus 2. Dolus 3. Minorennitas 4. Status muta-  
tio, seu Capitis deminutio 5. Absentia justa vel aliud  
quoddam impedimentum legale majoribus obve-  
niens. 6. Alienatio judicij mutandi causâ facta.

XV.

Prima Restitutionis causa est Metus. Verùm  
non debet esse reverentialis *l. ad invidiam. 6. C. de his  
quæ vi metus vè Causâ* Nec levis & supervacaneus *l. 2.  
C. eod. l. 5. & 6. ff. eod.* Vel verbalis, qui tantum in-  
nudis minis consistat *l. 9. C. eod. Glos in l. 7. pr. in verb. in-  
famia. ff. b. t.* qualis est vexationis timor *d. l. 7. pr.* Sed  
requiritur talis, qui in Constantem virum cadat *d. l.  
5. & 6. ff. h. t.* & cum periculo vitæ conjunctus est,  
qualis est metus mortis & cruciatus corporis. *l. 13. C.  
de transactionibus,* quiq; atrocitate facti potest pro-  
bari *d. l. 9. C. b. t.*

XVI.

Quandocunq; igitur per talem metum initur  
contractus, ipso jure quidem consistit iste, quia con-  
sensus tanquam essentialis seu substantiale requisi-  
tum adest. Coactus enim velle quis tum censetur  
*l. 21. §. 5. ibi coactus volui ff. b. t.* eligendo scilicet inter  
duo mala id, quod minus est malum, quamvis hæc  
voluntas sit remissior.

XVII. Ve-



XVII.

Verum Prætor, quia contra bonos mores esse videbat vim, quæ à conversatione civili planè abesse debet, pessimo stabiliri exemplo, ideò dedit actionem ad rescindendum hunc contractum probato metu *d. l. 9. C. h. t.*

XVIII.

Quæ actio est personalis origine suâ inspectâ. Nascitur enim ex delicto, quia metum inferens delinquit. Est tamen & in rem scripta *l. 9. §. fin. h. t.* Quia in quosvis possessores competit, qui modo participarunt de lucro ex crimine metum incutientis *l. 14. §. 3. ff. h. t.* ex æquitate scilicet naturali, quæ ex qualicunq; delicto emolumentum sperare non patitur *l. 2. ff. de eo, per quem factum erit, quo minus l. 134. ff. de Reg. jur.*

XIX.

Præterea hæc actio est mixta quia præter rem nostram persequimur & pœnam tripli *l. 14. §. 10. ff. h. t. l. 18. pr. ff. de dolo malo.* Propterea quod Judex ex arbitramento suo, hoc est, ex bono & æquo rem metu affectam restituere jubet. quam si restituit reus, sententia habet vim definitivæ & sic evitare potest pœnam tripli *l. 14. §. 1. ff. h. t.* Quod si reus non obtemperaverit, judicis jussus instar interlocutoriæ erit, & judex in eum tanquam contumacem concipit condemnationem in quadruplum, ubi quadruplicatur res cum fructibus & omni causa *d. l. 14. §. 7.*

XX.

Secunda Causa est dolus, qui nihil aliud est, quam quædam studiosa calliditas & fallacia, s. machinatio



natio ad decipiendum circumveniendumq; alterum adhibita, ut est *l. 1. §. 2. ff. de hiis qui notantur infamiâ.* Hic dolus si intervenit negotiis & contractibus, eos non statim ipso jure reddit nullos, nisi eo casu, quo causam dedit contractui *l. & eleganter. 7. pr. ff. de dolo.* Ideoq; & hoc casu prætor succurrit læso, eiq; dat contra dolum committentem actionem de dolo, quæ personalis est *l. 15. §. 3. ff. de dolo.* eamq; in alios, sub naturâ tamen & qualitate actionis in factum, dirigit in id, quod ad eos ex hac causâ pervenit *d. l. 15. §. 2. ex ratione supra ch. 18. allegatâ.*

## XXI.

Sed cum hæc actio sit gravis & famosa *l. 1. ff. de hiis qui notantur infamiâ.* Non temerè & semper conceditur *l. 1. §. 4. ff. de hiis qui notantur infamiâ.* & imprimis non habet locum, si alia actio sit, quâ possim experiri *l. divus. §. fin. ff. de in integr restitut.* etiamsi sit pœnalis, *l. 7. §. 1. ff. de dolo malo* aut popularis *l. 7. §. 2.* aut si interdictum aliquod sit vel exceptio, quâ quis se rueri possit *d. l. 1. §. 4.*

## XXII.

Interim tamen excipitur actio, quod metus causa, cum qua concurrat hæc actio ita ut una intentata consumat alteram *l. 14. §. 13. ff. quod metus causa.* Et ratio videtur hæc esse, quod metus sit species doli, & quod hæc duæ actiones multa inter se communia habeant *l. 18. pr. ff. de dolo malo,* quia utraq; prætoriam & arbitrariam, & pœnalem, & restitutoriam est. Alij aliam rationem subministrant.

XXIII. Ter-



29

XXIII.

Tertia in integrum restitutionis causa est Minorennitas *l. 1. ff. de minoribus*. Quâ voce non tantum intelligimus minores quatenus ætate sunt tales, utpote infra 25. annû constitutos *l. 1. §. 2. ff. d. t.* Sed omnes alios, qui vice minorum fruuntur, seu jus minorennitatis habent, quales sunt Ecclesia, de quâ est textus *in cap. 1. & cap. audiatis. 3. x. de in integr. restitution. & Respublica l. 4. C. ex quib. Caus. maj. in integr. l. 3. C. de jur. reip.* XXIV.

Minores, quorum consilium fragile & multis capti-  
onibus est suppositum *l. 1. pr. ff. h. t.* restituuntur læsi ob ætatis lubricum *l. 11 §. 5. h. t. l. 2. C. de filiofam. minor. & incon-  
sultram facilitatem d. l. 11. §. 4. h. t. adversus contractus l. 7. §. 1. & 2. & omne illud, quod ab illis qualiter qualiter ge-  
stum esse & damnum intulisse dicetur d. l. 7. pr. ff. h. t. sub  
qua gestione quali quali etiam quasi contractus compre-  
henduntur *arg. l. 24. pr. h. t. juncta l. 5. pr. ff. de Obligat. & A-  
ction. & §. 1. Inst. de obligat que quasi ex contractu nascuntur.**

XXV.

Restitutio autem non fit, nisi antea in rei veritate  
proberit, se esse circumscriptos & damnum incurrisse *l. 9. §. 4. ff. de jurejurando*. Potest enim evenire, ut minores eti-  
am sobriè res suas administrarent, prout textus est in *d. l. 11. §. 4. ff. de minoribus*.

XXVI.

Diximus th: 24. Minores posse restitui adversus con-  
tractus. Hâc occasione quæri possit, numne quoq; ad-  
versus juratos, seu juramento confirmatos restitutio ipsis  
indulgeri debeat: Nos Negativam arripimus, quam sta-  
bilimus *per Authen. Sacramenta puberum. C. si adversus vendi-  
tionem*. Si modò contractus aliàs de jure vel gentium vel  
civili sint validi *d. Authen.* Nam si fuerint turpes vel  
B legibus



95  
legibus prohibiti, non eget restitutione minor: sunt enim contractus in se nulli *l. 5. C. de LL.* nec hoc casu iuramentum contra jus commune *l. 7. §. 10. ff. de pactis* vel contra bonos mores præstitum *c. 58. extra de R. 1.* est obligatorium. Nam quod in se nullum est, illud confirmari non potest; Juramentum enim semper naturam sui actus primordiale fortitur *l. ult. C. de non numer. pecuniâ.*

#### XXVI.

Quarta causa est status mutatio. Cum quis per adoptionem vel emancipationem privata familiæ jura perdit *l. 6. ff. de Capit. minut.* Nam per hos modos minimam capitis diminutionem pati quis & in imaginariam servilem causam deduci credebatur *l. liberos. 3. ff. eod.* quo casu actiones civiles in debitorem capite minutum stricto jure peribant *l. 2. §. 4. ff. eod.* Ideoq; opus erat, ut Prætor perinde quasi id factum non esset, restituat illas actiones *d. l. 2. §. 1.* Quæ tamen restitutio adoptato & postmodum iterum sui juris facto non indulgetur *d. l. 2. §. 4.* neq; eâ opus est in naturalibus præstationibus *l. cas. 8. ff. h. t.*

#### XXVIII.

Verùm hodierno jure, cum nec per adoptionem *§. 2. Inst. de Adopt. & l. 10. C. eod.* nec per emancipationem *l. 5. & 6. C. de emancipation.* caput amplius minuatur, hujus edicti prætorij nullum esse usum statuimus.

#### XXIX.

Quinta in integrum restitutionis causa est absentia vel reipublicæ *l. 1. §. 4. pr. l. 28. §. 3. ff. ex quibus causis major. integ. rest.* vel studiorum causa *l. 28. pr. ff. h. t.* imò & alia justa ac necessaria peregrinatio *l. 26. §. ult. in verbis final. ff. eod.* Non tamen mercaturæ causa propter lucrum captandum suscepta, textus est in *l. 36. ff. h. t.*

#### XXX.



## XXX.

Est præterea pro justo & legali impedimento alleganda denegatio & protractio justitiæ *l. 20. §. 4. ff. eod.* item latitatio adversæ partis *l. 24. ff. eod.* in vinculis detentio vel incarcerationio *l. 9. l. 23. pr. ff. h. t.* & quævis causa, quam judex ex generali clausula æquam judicaverit *d. l. 20. §. ult. h. t.*

## XXXI.

Si itaq; propter has causas & impedimenta majores lædantur, ut vel propter absentiam eorum res usucapta vel jus præscriptum dicatur, vel ex protracta justitia, vel adversarij tergiversatione actio per diei lapsum exierit, merito eis restitutionis auxilio subveniri debet *l. 1. §. 1. ff. h. t.*

## XXXII.

Quapropter introductum est remedium, quod dicitur actio rescissoria in *l. 28. §. 5. & 6. ff. h. t.* quâ simul peto restitutionem juris vel actionis amissæ, & rei ex restitutione superstitis adjudicationem.

## XXXIII.

Quo casu non censemus necessarium esse duplex illud DD. remedium rescindens & rescissorum, quia frustra fit per plura, quod potest fieri per pauciora. *DD. ad l. 39. C. de appellatione.*

## XXXIV.

Dicitur autem actio rescissoria, non quasi distincta species sit actionis, sed est qualitas tantum declarativa actionis vel ejusdem cognomen adinstar actionis de peculio *l. lices. 3. §. cui congruit. 2. ff. de peculio.* Primo enim est actio quæ ob præcedens impedimentum erat extincta, jam reviviscens & sic quandoq; est personalis quandoq; realis secundum naturam actionis extinctæ.

## XXXV.



## XXXV.

Ultima in integrum restitutionis causa est alienatio  
judicij mutandi causa in potentiolem molestiolemvé  
adversarium *l. 1. §. 1. & l. 2. ff. de alienat. judicij mutand. caus.*  
dolo malo & fraudulentâ intentione facta *l. 4. §. 1. ff. b. t.*

## XXXVI.

Sub voce judicij hic intelligitur non præsens sed fu-  
turum, quia alienationes jam constituto judicio inter-  
dictæ sunt *l. 13. ff. famil. ercisc.* & hodiè quidem sub vitio  
nullitatis *l. 2. C. de litigiosis.*

## XXXVII.

Qui ita rem suam ad alium transfert, tenetur utili in  
rem actione. Dolo enim desit possidere *l. 27. §. 3. ff. de  
rei vindicat.* & tenetur in factum actione *l. 1. in fine pr. ff. b. t.*  
Hæc tamen actio eâ, quæ in rem est, utilior est tum ob-  
minorem probationem doli, tum propter interessè, quod  
in actionem in factum venit.

## XXXVIII.

Est rei persecutoria & non ultra competit, quàm al-  
teri abest, & quanti interest *l. 4. §. 5. ff. b. t.* & hæredi da-  
tur *d. §. 6.* in hæredem autem & post annum non datur  
*l. 6. ff. b. t.* quia est ex delicto *l. 7. ff. b. t.* in quo nulla est  
repræsentatio defuncti *l. 26. ff. de penis. l. 22. Cod. eod.*

*Hæc sunt, quæ de utilissimâ in integrum restitutionis  
materiâ pro instituti ratione proponere volumus.*

*Quæ autem præterea circa hanc mate-  
riam à DD. afferri solent, de ijs  
in præsentia solliciti non  
sumus.*

SOLI DEO GLORIA.











quando quis obscuro loco natus, fraudu-  
 tatione, nobili alicui familiae se infere-  
 sub titulo cognationis ab aliis, vel ejus-  
 familiae, nobilibus pecuniam, vel aliud  
 dicet, vel alio modo eosdem fallat.  
 1615. vagabundus quidam homo co-  
 uelem Phocam, Palatinum Constanti-  
 cupans, & ex familia illustri Graecorum  
 jactans, adjumeto intercessionu, quas  
 te impetraverat, in plurimorum prin-  
 s, & civitatibus ingentem pecuniae  
 & emendicavit; cui postea, ob delicti  
 poenam dictaverunt Scabini Lipsien-  
 no 1629. Mens. Martio foeminae cui-  
 , ex nobili familia se natam & bonis  
 mutato nomine a Nobilibus pecuni-  
 poenam temporalis relegationis in-  
 runt. *Carpzov. prax. criminal. part. 2.*  
 am sequenti *num. 41.* adducit exem-  
 assumpto nomine Advocati cujus-  
 ejus publice jactaverat, quem postea  
 iudiae Senatus virgis coedi, & exilio  
 tinent & huc exempla relata a *Valers*

XVI.

us est, quando quis, personam suam pla-  
 nem suam mutat, & se pro alio suppo-  
 ma apud Historicos aliosq; scripto-  
 inter quae notissimum est illud Plau-  
 pta forma Amphitruonis, adversus  
 nocte quadam, velut e bello rever-  
 concubuit. Plura vide apud *Johannem*

B 3

Cor. 4

